



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa
Confessio**

Cutsemius, Petrus

Coloniae Agrippinae, 1621

De S. Mathilda, Conivge Regis Henrici.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11884

DE S. MATHILDA, CONIVGE
REGIS HENRICI.

Luitpr. lib.
cap. 7.

ANTE QVAM verò ad filios Henrici progrediar, non foret inutile hic ex Luitprando, qui illo ipso tempore vixit, paucis et am indigitare, quanta pietate, quanto studio, & deuotione corpus mariti defuncti terræ, animam verò Deo quibus supplicationibus, oblationibus, elemosynis relicta vidua S. Mathildis commendarit.

Henrici corpus, inquit, in Saxoniam deportatum in nobilissimarum ac religiosissimarum * Abbatia. *monasterio puellarum, quod in ipsius Regis pradio vocabulo Quedtelingaburg situm liquet, in Ecclesia cum immensa est veneratione depositum, vbi & venerabilis eius coniunx, regniq; consors ex eadem gente nomine Mathildis, vltra omnes, quas viderim, & audierim Matronas, pro delictorū expiatione celebre exequiarum officium viuam Deo hostiam offerre non desinit. Eadem commemorat quoque Ditmarus lib. 1. Et pie fecero, si his addam, quæ de Sanctissimæ huius fœminæ laudibus apud VVitikindum exstant lib. 3. circa finem. Quis, inquit, dignè posset explicare eius vigilantiam erga cultum diuinum? omni nocte, omnibus modis, & omni genere cellulam suam diuinorum carminum melodia implebat.*

Erat

Erat enim ei cellula Ecclesie proxima, in qua modicè requiescebat. De qua omnibus noctibus surgens intrabat Ecclesiam, nihilominus cantoribus, & cantatricibus inter cellulam, & proforibus, & in via triformiter constitutis, qui divinam clementiam laudarent, & benedicerent. Ipsa intra Ecclesiam in Vigilijs, & orationibus perseverans Missarum solemniam expectabat: deinde infirmos ubique adiuuit, in vicino visitavit, necessaria præbuit, deinde pauperibus manum porrexit. Hospites, qui semper aderant cum omni largitate suscepit: neminem sine affatu blando dimisit, nullum siue munusculis ferè vel necessarijs adiumentis vacuum reliquit. Sæpe viatoribus, quos longius de cella prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet valdè humiliter diebus ac noctibus exerceret: nihil tamen de honore regio minuebat, & sicut scriptum est, quamvis sederet; tanquam Regina, circumstante populo, semper, & ubique tamen mentium consolatrix. Domesticos omnes famulos, & ancillas varijs artibus, litteris quoque instituit. Nam & ipsa literas novit, quas post mortem Regis lucidè satis didicit. Ergo si omnes virtutes eius velim narrare, hora deficeret: facundia Homeri, vel Maronis si adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis, & eleemosynis, cunctis diuitijs regalibus distributis seruis Dei, & ancillis, ac pauperibus,

2. Idus Martias animam Christo reddidit. Relata

reperitur in numerum Sanctorum dicta die natalis sui, hoc elogio : *Halberstatti in Germania Dormitio B. Mathildis, Regina matris Ottonis primi Imp. humilitate, & patientia celebris.*

DE OTTONE I.

IMPERATORE.

VENIO nunc ad Ottonem, Henrici ex S. Mathilda filium primogenitum, quem VVitikindus li. I. vocat *Mundi Amorem*. Princeps ille fuit omni virtute præstantissimus, sed Catholica pietate longè illustrior Imperator, cognomento *Magnus*; Qui ut hoc felicius esset Imperij sui administratio, à Deo principium duxit, solenni ritu, & cæremonijs Aquisgrani ab * Hildeberto, Archiepiscopo Moguntino, accepta licentia à VVigfrido Archiepiscopo Coloniensi, in cuius diocesi Aquisgranum existit, inunctus atq; coronatus, an. 936. & tandem Romæ à Papa Iohanne XII. novis ritibus, cum faustis populi Romani acclamationibus, in dignitate Imperatoria confirmatus, in basilica S. Petri, die Natalis Christi, An. 962. uti tradunt *Frodoandus, Regino, Luitprandus, &c.* Nec obstat, quod initia gubernationis difficillima habuerit, armorum procellis vndique sævientibus, quibus

* Otto Frising. lib. 6. c. 19.
Ditm. li. 2.
VVitik. l. 2.